

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Bellot, Florent-Joseph - candidat /  
Morisot, Pierre-Joseph - président /  
Bellot, Louis-Florent - auteur. - An è  
Rheumatismo recreatis Pila,  
prophylacticum ?**

**1793.**

***Paris : Typis Quillau,  
Saluberrimae Facultatis  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2337a n°202***

# QUÆSTIO MEDICA, CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ  
mensis Februarii anni M. DCC. XCIII.

M. PETRO-JOSEPHO MORISOT, Doctore Medico, Præside.

An è Rheumatismo recreatis Pila, prophylacticum? (\*)



I.

**D**OLERE & pati humanum est. Hominis vita, etiam beatior, nihil aliud ferè est, nisi doloris & indolentiæ perpetua quædam alternatio. Numerosa hominem circumvenit morborum cohors, illiusque sanitati nunquam non insultat. Felix ille est qui minimis torquetur, sanus qui rarioribus urgetur malis. Inter tot morbos, quorum undique patemus telis, alii ægrum in vitæ discrimen adducunt, occiduntque non rarò; alii, (dubium an optabiliores, licèt periculosi minùs,) quàm relinquunt ægris mortalibus vitam, eam aut suâ pertinaciâ & diuturnitate miseram faciunt, aut *recidivæ* metu & frequentia precariam. Ex horum genere *Rheumatismus* est. Morbus atrox, contumax, curatu difficilis, & Plethoræ, eamque pressio, ut plurimum, pede sequentis Cacochymix foboles. Adultos quam pueros, viros quàm foeminas sæpius exercet. Pueris corpus, in horas ampliandum, humorum redundantix minùs patet, quæ in partium incrementum absumitur. Foeminas, licèt ætatis æquæ adeptas, à Plethoræ confectaneis morbis vindicat, quæ ipsius Plethore effectus est naturalis salutarisque, menstrua purgatio. *Rheumatismi* voce Catharrum quidam intellexerunt. Si ratio habeatur etymi, *Rheumatismus* est materiæ undecumque ad partem quavis affluentis appulsus. Voluit tamen Usus loquendi arbiter, ut apud Medicos *Rheumatismi* nomine intelligantur dolores erratici, ab efferâ materiâ ultrò citròque pervolitante oriundi. Arthritidi morbus est congener affinisque. Solâ inter se ambo sede differunt, materiæ similitudine pares, doloris immanitate sæpè æquales. Sublimior est *Rheumatismus* & pomœria corporis obfidet. Profundior Arthritis. Ille musculos, iisque super injectas membranas vexat. Hæc Articulorum ligamenta occupat, & in ipsum sevit periostium. Quantumvis inter se consentire videantur, nonnihil tamen discrepant. Arthritidem, præter cruciatuum atrocitatem, significant partis ægræ tumor ruborque. In *Rheumatismo* licèt atrociter lancinentur & lacerari quasi sentiantur carnes, nec tument tamen, ut plurimum, nec rubent. Affectat Arthritis quemdam circuitum, & periodicè quasi ex conditio recrudescit. Non item *Rheumatismus*, quantumlibet pronus sit in *recidivam*. Quos quidem semel torfit, ii in posterum ab improvise illius insultu vix omnino sunt immunes. At nec statis recurrit temporibus, nec servatâ uliâ circuitûs lege, sed prout ad reditum invitant partis quæ ægrotavit debilitas, & quodlibet in rebus non naturalibus erratum. Pro variis quas infestat Microcosmi regionibus varia infert supplicia, diversaque sortitur nomina *Rheumatismus*. In femore Ischias audit, plebi *sciatica*. Æmulatur in lumbis Nephritidem, à quâ tamen vomitionis abientia discriminatur. Vocant tunc Lumbaginem. Ad thoracis costarumque motores musculos delapsus, difficilem facit respirationem, falsamque non malè simulat Pleuritidem. Nullis demùm parcit partibus, quæ totum aliquandò corpus infestat, & universâ phlogosi deurit tetra lues. Incautus imposuit non semel medentibus falsâ Scorbuti similitudine, mentientibusque luem veneream nocturnis doloribus. Est ubi eò pervenit morbi feritas, ut post longos cruciatus, solidis partibus tono suo spoliatis, & evanescente doloris omni sensu, vitatâ Charybdi delabatur in Scyllam æger, & variè intortis contrâ naturam membris, nec unâ quasi ferruminatis *ἀνδροει*, quâdam anticipatæ mortis imagine, omni motu destituatur, Silicernio quàm viventi similior. Tot malorum causa est sanguinis serum salinis plus æquo foetum spiculis, membranaceas nervosasque corporis partes continuò vellicantibus.

(\*) Propugnata anno 1733, LUDOVICO-FLORENTIO BELLÔT, Bacc. Theos. Auditor.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

**C**UI morbi indoles probè cognita fuerit, ille de ejusdem causâ minimè dubitabit. Perspectâ in *Rheumatismo* eundi redeundique ab unâ ab aliam partem facilitate, feri fluiditatem & dispositionem ad motum, illius causam esse, nasutus quilibet statim odorabitur. Quem aut parum noverunt, aut minùs accuratè descripserunt *Rheumatismum*, illum pro Catarrho habuerunt veteres, nec dubitârunt in caput refundere. Ventriculû alii, alii lienem, hepar ille, hic alia quælibet viscera prout visum fuit, immerentia culpârunt. Jure an injuriâ, illi viderint, qui nôrunt in sano homine, à suscepto repentino frigore, sæpissimè ortum fuisse *Rheumatismum*. Illius causa remota fieri potest, quidquid sanguinem densat inspissarque. Hinc victus lautior, calenti corpori subitò impactum frigus, indèque prohibitum salubre adeò *Perspirationis* effluvium, nec tam in sanguinem refluxum, quàm effusum intrâ muscularium fibrillarum membranarumque vacuola, pessimo huic affectui ansam præbent non rarè. Spissior scilicèt sanguis vasorum impulsui parum morigerus, ubivis locorum cespitat. Indè humorum minor tardiorque ad cutis poros appulsus. Constrictæ aliundè, quæ tubulorum *Perspirationi* famulantium apicibus insident, epidermidis squammulæ, exhalandis succis eò faciliùs exitum occludunt, quò segniùs ab infarctis organis illi propelluntur. Occluso igitur exitu, negatoque à ponè sequentibus aliis humoribus reditu, quid superest, nisi ut, quâ data porta, effugium quærant, & per minimorum, vasorum exilissimas commissuras, viam sibi faciant in partium substantiam. Huic operi totus non est par sanguis. Globulosæ illius partes corpulentiores sunt; lymphaticæ intricatiores; viscosiores lentioresque biliosæ; omnium aptissimæ feri particulæ. Quæ ploratis instar & lacrymularum per vasorum dilatatos poros exprimuntur. Sui juris factæ, pessimo partes inundant diluvio. Morâ fiunt acriores, evolutisque quibus scatent salibus, nervos, membranas, & quidquid est in corpore sensus exquisiti laceßunt continuo, punguntque. *Rheumatismi* causam esse serum, ipsius morbi mores probant. Nulla adest in dolente parte coloris mutatio. Exiguus illam aut nullus elevat tumor, isque facili negotio discutiendus, licèt perseveret dolor. Locum facili mutant *Rheumatici* dolores, relictâ unâ parte omninò indolente, ad aliam disto citiùs transeunt. An non hæc sunt humoris tenuissimi, & causæ maximè mobilis indicia? *Rheumatismo* laborantium sanguis magnæ feri copię innatat. Quid verbis opus est? Spontaneo naturæ victricis conamine morbus sæpissimè sudoribus terminatur. Sudoribus autem quid eliminatur? Serum, falsum & acre. Quis æger sudoris in oculum decidui falsedinem non est expertus? Quis, judice & teste linguâ, illud idem de sudore non confiteatur?

I I I.

**V**IS è *Rheumatismo* recreatus sanum te & à pessimi morbi novo insultu immunem præstare? Quam monstrat natura viam, sequere. Morbum sudoribus sanat sæpissimè; eum sudoribus antevertere ne dubites. Sic & dolori occures; & medicamentorum individuo comiti, fastidio. Est quidem aliquid æquâ lance pensitatis cibo & potu uti. Est aliquid etiam partitis, ut decet, somni vigiliarumque temporibus indulgere. Nec sanitati parum confert aërem spirare temperatum purumque, & ita imperare animi affectibus, ut nec veterno mens torpeat, nec æstu continuo excandescat. At illa non omnem implent paginam. Excretorum retentorumque summa illi habenda ratio est, qui vult *Rheumatismi* precavere reditum. Inter excreta, sive copiam spectes, sive necessitatem, sive perennitatem, primas tenet *Perspiratio* insensilis. Quandiu perstat, res in vado est. Si variâ fit, nec sibi constet, sudore compensanda est, & labore allicienda, aut, quæ laboris species est, exercitatione invitanda. Exercitii non unum genus complectitur *Gymnastica*. Ars veteribus quàm nobis usitator. Nunc pro solo fere est oblectamento, quæ olim non ratò erat pro medicinâ. Sic Luctâ curabat Hydropisim Oribasius, Gestatione Ætius, Cælius Aurelianus vociferatione. E numero plurimus, quas offert *Gymnastica* exercitationibus, nulla præcavendo *Rheumatismo* aptior est, quàm Pila ludus. Veteribus non incognitus, Græcis & Romanis familiaris, à nostro tamen non nihil diversus, Palæstram in quâ ludentes exercentur Spærister-

rium vocant, desumpto à Græcis vocabulo. Locī struendam nōrunt omnes, ludi leges conditionesque callent non pauci, salubritatem ignorat nemo. Non injucunda est Monomachia Pilæ ludus. Unus cum uno congregitur. Nisi utrique visum fuerit, assumptō utrinque periculi sociō, binos binis concurrere. Ludentium quemque lineum vestit indusium & ejusdem materiæ subucula. Caput obtegīt pileus, qualis est dormientium. Cingit epigastrium, nodo uno & altero non laxè post terga revinctum mantile. Linea sunt femoralia & tibialia. Calcei è molli alurā confecti. Sub hâc levi pugnatur armaturâ : Quò scilicet ad omnes motus, numeroque propemodum infinitas inflexiones, habilis celeriusque fiat corpus. Mantile corpori circumdare nullus omiserit, nisi ignarus, aut parum cautus. Illud siquidem habet commodi hoc cingulum, quò & corpus stringendo firmet, & compressis non nihil visceribus hepar fulciat; cujus pondere deorsum tractum diaphragma, inter crebros ludentium subsultus succussusque, respirationem redderet difficiliorē. Necessariæ quidem huic exercitationi sunt vires. Quæ tamen vincendo solæ non sufficiunt. Acri opus est oculorum acie, & judicio. Illâ, fulguris instar adactam pilam providebis, eamque aut declinabis, si è re tuâ fuerit, aut curvato, ne te tangat, salutabis corpore : hoc, Pilæ in parietem obliquâ lineâ impingentis resultum, vel suprà suum axem rotatæ casum, certius prænosces. Jam verò quæ motuum varietas? Qui decertantium niscus? Modo suprà caput volans pila, non expectato illius resultu, elato brachio excipienda est, & demittenda; modò humi repens eadem submisso reticulo relevanda. Ludentium alter summis intorquet pilam viribus. Opponit alter pro clypeo reticulum impavidus. Dum ille, pronus in ictum, totus est in feriendo, hic stat suâ mole, totus in impetu sustinendo. Peritiæ tamen minus est in pilâ validè impellendâ, quàm in eadem ita collocandâ, ut æmuli fallat industriam. Sphæristerium in duo dividit, ab uno ad alium protensus parietem funis quidam, pendente ad pavementum reti conspicuus. Ludit benè qui suprà, malè qui infrâ funem, sphæram pellit : Eleganter, qui novit ictum iâ temperare, ut pila transeundo, funem quasi lambat, & ad sphæristerii hunc illumve angulum non tam currat, quàm rependo quasi emoriatur. Hinc imbellis sphærae aut minimus aut nullus resultus; urgens proinde ludenti, corporis celeriter inflectendi necessitas, excipiendæ pilæ major industria, parque remittendæ ejusdem difficultas. Sine technis & dolo non luditur. Artis est unum, oculis & corporis etiam conversione ac situ, locum affectare, & mutatâ subito docilis manūs directione, alium impetere. Sic ictu deluditur hostis insperato. Ad eam, quam attingere velle te simulasti, sphæristerii partem ruit celer, fugientem verò aliorum dum videt pilam, & insequi studet, se se subito summoque niscu recolligit, inde rediturus, quò eum error egerat præcipitem. At ille par pari referet, dolumque dolo vicissim compensabit. Fraudis memor hostis, in eum quem mox deferueris locum, sphæram mittet, quam tu non nisi veloci poplitum auxilio, anhelusque attingas. Quid plura? in eo singularis certaminis genere totus fere, nec sine voluptate laborat homo. Exercentur intuitu oculi, impellendo brachia, manus stringendo, vociferatione & crebrâ respiratione pulmones, multiplice inflectione lumbi femaore tibiæ & pedes cursu, ipsaque mens, dum versat dolos, ratiocinatione.

## I V.

**S**ANITATI servandæ convenire exercitium nemo non fatetur. Illud quantæ sit in firmando corpore utilitatis, ipsa docet natura, quæ infantibus & pueris tantam indidit, pro ratione ætatis ad motum propensionem. Naturâ duce currunt, saltant, colluctantur, lascivientes illi naturæ Palæstritæ. An non idem in junioribus quibuslibet animalibus observare est? Certo sanè indicio, motum esse corpori fovendo & roborando maximè idoneum ac necessarium. Sin minus, novercam ageret non matrem, natura optima, quæ nos ad exercitationis ferè continuæ laborem, eâ præsertim ætate impelleret, quâ loquenti illi soli, libentes auscultamus. Eatenus sanum est corpus, quatenus à Plethorâ immune. Plethoram, imminuit exercitatio. Facilis est, & in promptu consequentia. Labore muscoli in validiores cientur motus. Ab iis vasa sanguinem deferentia fortius premuntur & sepius. Inde

4

sequitur liquidorum corporis major tritus. Quò illa subiguntur exactius, eò secretionibus ipsique nutritioni aptiora evadunt. Nec sunt hæc, verba vocesque tantum. A labore etiam duro corpus uberius nutritur. Dubitas? Experientiam consule, & ipsis saltem crede oculis. Quà proportionem pars quælibet corporis exercetur & laborat, eà vires acquirere illam videbis. Quàm lata sunt Remigibus pectora! Quales ostentant humeros Bajuli, quos dorso lumborumque habent musculos! Cantoribus quale pulmonum robur, quæ vox Stentorea! Quàm lacertosa sunt crura & femora Lesticariis! Quàm invicta demum, Pila ludere solitis pugni firmitudo! Hæc omnia quid præstat? Labor, exercitium. Quæ quidem quâ ratione, novi & uberioris pabuli accessione corpus roborant, eadem eliminandis residuis à nutritione succis, id est, fovendæ *Perspirationi* inserviunt. *Rheumatismum* facit serum mordax in membranas musculosque delapsum. Extrà cancellos errare gestienti sero favet sanguinis spissioris & idcirco tardioris, mora in vasis capillaribus. Hanc sequitur, haud aliter in lacte concrecente, feri acrioris, à coeuntibus simul aliis sanguinis partibus, expressio & expulsio. Sic solitis vasis exterminatus, in viis invitisque partibus se se insinuat acer Ichor, ingratus hospes, triste relicturus extortæ hospitalitatis prætium. Quis sanæ mentis non sentit, illum *Rheumatismi* recidivæ minus futurum obnoxium, qui pessimi morbi causæ prospicere noverit, eam conciliando vasorum fibræ firmitatem, quæ par sit attenuando sanguini. Unde liquidorum corporis fluiditas major, faciliorque proinde eorumdem per cutis spiracula exalatio. Quod à pilæ exercitio contingere nullus non fatebitur.

V.

**P**ESSIME de *Rheumatismi* causâ ille judicat qui caput incusat. Delirantibus aliis partibus, insons alia damnatur. At in capite non raro incipit, qui ad alias partes derivatur deinceps morbus. Inde illius mores inferas, non causam. Venterculus imbecillior, aut malè morata, quæ alimentorum coctioni inserviunt, viscera causam huic morbo præbent. Fatemur, sed remotam, nec nisi conspirantibus, partium, *transpirationis* materiæ præparandæ & eliminandæ dicatarum, delibitate aut erroribus efficacem. Nec destruendæ, quam extruximus, morbi ætiologiæ, duce Avicennâ, objicias status esse *Rheumatismi* parentes. Illud quidem veri quamdam speciem videtur præ se ferre, morbiq; materiæ inconstantia & mobilitate fulciri. Quid enim aëre mobilius? Quid tubitis loci mutationibus obnoxium magis? Sed ex aëris facili mobilitate, sequitur difficilior ejusdem intrâ vasorum, poris ubique & undique perviorum, tubulos incarcerationio. Si alicubi in humano corpore, maxime in abdominis tortuosis anfractibus regnat *Æolus*. Ibi ventorum patria, ibi flatuum frequentiores procellæ. Labor est sat durus, inquires, *Sphæromachia*. Ita est, sed inassuetis. Ufu sit levior, exercitatos vix fatigat, immò sine lassitudine oblectat. Aliunde verò, est modus in rebus. Non feret bovem qui tulit vitulum. At instabis, ut quid illud præcavendo *Rheumatismo* adhibere, à quo sæpissime idem morbus ducit originem? Æstate, etiam immoto corpore & quieto, vel lenior aura *Zephyri* lassitudines inducit & *Rheumatismum*; quanto magis, ubi à violentiore exercitio corpus incaluerit. Nec illud diffitemur. *Zephyrum* tamen idcirco aut exercitium ne crimineris. Hoc ubi contingit, solus ille culpandus est qui sudoribus, aliunde salubribus, cum disfluat, non novit sibi à frigore aëris præcavere. Hunc in finem familiaris est Pila ludentibus cautio quædam, quam omisisse credas piaculum. Solent illi, finito certamine, cubiculum celeres ascendere, foco se se admove, & citò depositis sudore madentibus ponderosisque indusiis, fricari. Illud boni frictiones conferunt, quòd siccis calidisque linteis sudor accuratè detergatur; unde minor frigidioris aëris formido; & si quid fortè, à violento sanguinis motu, succi crassioris minimorum vasorum tubulis hæserit, illud repetito eorumdem pressu foras propellatur, unde exhalandis humoribus nullus obex, & viæ patentiores.

*Ergo è Rheumatismo recreatis Pila, prophylacticum.*

Proponebat Parisiis FLORENTIUS-JOSEPHUS BELLOT, Parisinus, è Societate Philomaticâ, Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

Typis QUILLAU, Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi. 1793.

